

LECTIO UNDEVICESIMA
PLINIUS MINOR AZ IRODALMI FELOLVASÁSOKRÓL

Magnum proventum poetarum annus hic attulit: toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis. Iuvat me quod vigent studia, proferunt se ingenia hominum et ostentant, tametsi ad audiendum pigre coitur. Plerique in stationibus sedent tempusque audiendi fabulis conterunt, ac subinde sibi nuntiari iubent, an iam recitator intraverit, an dixerit praefationem, an ex magna parte evolverit librum; tum demum ac tunc quoque lente cunctanterque veniunt, nec tamen permanent, sed ante finem recedunt, alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere. ... (Aliquos) a scribendi recitandique studio haec auditorum vel desidia vel superbia non retardat. Equidem prope nemini defui. Erant sane plerique amici. ... His ex causis longius, quam destinaveram, tempus in urbe consumpsi. Possum iam repetere secessum et scribere aliquid, quod non recitem. ... Nam ut in ceteris rebus ita in audiendi officio perit gratia si reposcatur. Vale.